

2012 NJCL Latin 2 Reading Comprehension Test

Passage 1—filiī Tarquinī cum Brūtō Delphum iter faciunt

adulēscētēs, Titus et Arruns, magnopere cognōscere volēbant ad quem eōrum imperium Rōmānum ventūrum esset. itaque frātrēs Delphum iter fēcērunt cum Brūtō patruēle, ut pater suus sibi imperāvisset, et Pŷthiam rogāvērunt quis deinde in patriā imperium tenēret.

vōx gravis audīta est, ex templō missa: ‘ille homō māximum imperium Rōmae habēbit, quī pŷmus inter vōs ōsculum mātrī dederit.’

Titus et Arruns iūssērunt omnēs aliōs de hāc rē tacēre, nē frāter suus Sextus, quī Rōmae remānserat, rem cognōsceret. mālēbant sorte dēcernere quis, cum Rōmam vēnissent, mātrī ōsculum datūrus esset. sed Brūtus, quī Pŷthiae respōsum audīverat, humī iacuit, quasī occiderat. hōc factō, ōsculum terrae dedit. terra enim omnium hominum māter est.

postquam Brūtus Rōmam vēnit, rēge Tarquinīō expulsō, pŷmus cōsul factus est. sīc Brūtus summum imperium Rōmae accēpit.

1. quot filiōs habēbat rēx Tarquinius?
A. ūnum B. duōs C. trēs D. quattuor
2. filiī Tarquinī Delphum iter fēcērunt . . .
A. ut mātrē quaerent C. quod adulēscētēs erant
B. quod pater suus sibi imperāvit D. nē pater suus morerētur
3. quid filiī Tarquinī Delphī fēcērunt?
A. in imperium Rōmānum bellum intulērunt C. frātrē vīsītāvērunt
B. ōrāculum cōnsulērunt D. templum aedificāvērunt
4. quid Titus et Arruns scīre cupīvērunt?
A. quis Romae regnātūrus esset C. quāndō Romam reditūrī essent
B. quot frātrēs habērent D. quis pater suus esset
5. quālis vōx deinde audīta est?
A. parva B. virilis C. territa D. gravis
6. quō ex locō vōx vēnit?
A. ē terrā B. ē templō C. ē caelō D. ē marī
7. quis, secundum Pŷthiam, proximē Romae regnātūrus erat?
A. quī mātrī multa dona dabit C. quī mātrē ad terram impellet
B. quī mātrē pŷmum vidēbit D. quī mātrē pŷmum osculābitur
8. respōnsō audītō, Titus et Arruns omnēs aliōs iūssērunt . . .
A. oculōs claudere B. sibi crēdere C. nārrāre neminī D. Romam redīre
9. Titus et Arruns hoc fēcērunt . . .
A. nē frater suus cognosceret C. quod fratrem timēbant
B. quod Brutus adstābat D. ut Brutum terrērent
10. quomodō Tītus et Arruns dēcernere sperābant quis eōrum mātrē suam pŷmum osculārētur?
A. āvibus spectātīs B. sortibus ductīs C. patre rogātō D. domō inventō
11. respōnsō Pŷthiae audītō, quid fēcīt Brūtus?
A. ad terram cecidit B. ad mātrē cucurrit C. domum rediit D. rem Sextō narrāvit
12. cūr Brūtus hoc fēcīt?
A. quod defessus erat C. ut mātrē osculārētur
B. nē patrem necāret D. quod omnēs spectābant
13. quid accidit postquam Brūtus et aliī iuvenēs Romam rediērunt?
A. Arruns mortuus est C. Tarquinius expulsus est
B. Sextus bellum gessit D. māter Brutī cōsul facta est

14. quis rē vēra Romae postrēmō regnāvit?
 A. Sextus B. Titus C. Arruns D. Brutus
15. quāle erat respōnsum quod Pŷthia dedit?
 A. fidēle B. falsum C. clārum D. longum

Passage 2—epistula dē libertō aegrō

C. Plinius Valeriō Paulīnō suō s.p.d.

videō quam molliter tuōs habeās quō simplicius tibi cōnfitebor quā indulgentiā mēos tractem. Quod sī essem nātūrā asperior et dūrior, frangeret mē tamen infirmitās libertī meī Zōsimī, cui tantō maior hūmānitās exhibenda est, quantō nunc illā magis eget. Homō probus, officiōsus, litterātus; et ars quidem eius et—quasi īnscrīptiō—cōmoedus. ūtitur et cithārā peritē. Idem tam commodē ōratiōnēs et historiās et carmina legit ut hoc solum didicisse videātur.

haec tibi dīligerter exposuī quō magis scīrēs quam multa ūnus mihi et quam iūcunda ministeria praestāret. Accēdit longa iam cāritās hominis, quam ipsa perīcula auxērunt. ante aliquot annōs, dum intentē instanterque prōnūntiat, sanguinem reiēcit; atque ob hoc in Aegyptum missus ā mē, post longam peregrīnātiōnem cōfirmātus rediit nūper. deinde veteris infirmitātis tussiculā admonitus, rūsus sanguinem reddidit.

quā ex causā dēstināvī eum mittere in praedia tua quae Forō Iūliī possidēs. audīvī enim tē referentem esse ibi āera salūbrem et lac eius modī cūratiōnibus accommodātissimum. Rogō ergo scrībās tuīs ut illī villa, ut domus, pateat. valē.

16. quis hanc epistolam scrībit?
 A. Valerius B. Caepiō C. Paulīnus D. Plinius
17. quomodō, secundum Plinium, Paulīnus suōs servōs tractat?
 A. asperius B. benignē C. acerbē D. cum odiō
18. Plinius est sollicitus quod . . .
 A. Zōsimus aeger est C. brachium Zōsimuī frāctum est
 B. diu Zōsimum nōn vīdit D. Zōsimus liberātus est
19. quis est Zōsimus?
 A. servus B. vīlicus C. amīcus Paulīnī D. libertus Plinī
20. quam sententiam dē Zōsimō Plinius habet?
 A. Plinius Zōsimum timet C. Plinius Zōsimum valdē dīligit
 B. Plinius gaudet quod Zōsimus abiit D. Plinius reditum Zōsimī dēsīderat
21. Zōsimus nōn est . . .
 A. honestus B. officiōsus C. ignāvus D. doctus
22. Zōsimus quoque, ut vidēmus, est . . .
 A. agricola perītus B. scrīptor C. pater D. mūsicus
23. quid aliud Zōsimus facere potest?
 A. historiās scrībere B. saltāre C. liberōs cūrāre D. bene legere
24. Plinius spērat sē rem explicātūrum esse. . .
 A. sine morā B. cum dīligerentiā C. breviter D. laetē
25. Plinius Paulīnō rem dē Zōsimō ita explīcat . . .
 A. ut Paulīnus intellegat quam cārus Zōsimus sibi sit C. quod Zōsimus est tristissimus
 B. quod Paulīnus nōn servōs habet D. nē Paulīnus Zōsimum dimittat
26. cāritās ergam Zōsimum Plinī aucta est quod . . .
 A. Zōsimus Plinium servāvit C. Zōsimus nullōs amīcōs habet
 B. Zōsimus nunc magnō in perīculō est D. Zōsimus Pliniō multam pecūniam debet
27. quid faciēbat Zōsimus ubi rēs similis quondam eī contigit?
 A. ad Aegyptum ībat B. ōrātōrem audiēbat C. in agrīs labōrābat D. dēclāmābat

28. quid igitur Plinius fēcit?
 A. Zōsimum ad Aegyptum mīsit
 B. medicum arcessīvit
 C. cum Zōsimō per agrōs peregrināvit
 D. Zōsimum vendidit
29. rēcuperavitnē Zōsimus?
 A. nūllō modō
 B. certē, statim
 C. ita, complūrēs post annōs
 D. vix
30. quid nunc Plinium praecipuē sollicitat?
 A. Zōsimus iterum tussim sanguineam habet
 B. Zōsimus nōn est laetus
 C. Zōsimus domum nōn rēvēnit
 D. Zōsimus Plinium dē exitiō suō monuit
31. quid igitur Plinius facere cōstituit?
 A. medicum quaerere
 B. Zōsimum ad fundum Paulīnī mittere
 C. Paulīnō Zōsimum vēndere
 D. Zōsimum nēcāre
32. Plinius hoc facere dēsīderat quod . . .
 A. Forum Iulī est magnum
 B. āer Forō Iulī recuperātiōnī commodissimum est
 C. multī mēdicī Forō Iulī habitant
 D. Plinius Forō Iulī natus est
33. quāle lac Forō Iūliī invenīrī potest?
 A. dulce
 B. salūbre
 C. pingue
 D. rārum
34. quid Paulīnō faciendū est?
 A. ōrātiō scrībenda est
 B. domus Paulīnō vēndēnda est
 C. villa paranda est
 D. liber patēndus est
35. Plinius hanc epistulam scrīpsit . . .
 A. ut Paulīnō valēdiceret
 B. quod diū Paulīnum nōn vīdit
 C. quod beneficium dēsīderat
 D. nē Paulīnus Zōsimum venderet

Passage 3—Cicerō, in persōnā senis, Clōdiam interrogat

sed primum ā Clodiā ipsā petam utrum mālit mē sēcum graviter loquī an lēniter. sī māvult illum pristinū mōrem ac modum, aliquis mihi ab īnferīs vocandus est ex illīs virīs barbātīs, nōn barbulā quae istam oblectat sed illā horridā barbā quam in statuīs antīquīs vidēmus. itaque aliquis veniat ex familiā Clodiae.

fortasse Caecus ille? minimum enim dolōrem capiet quod istam nōn vidēbit. quī certē, sī vēnerit, sīc agat ac sīc loquētur: “mulier, quid facis cum Caeliō? quid cum adulēscēte? quid cum aliēnō? cūr aut tam amīca fuistī ut eī aurum darēs, aut tam mala ut timēres nē tē interficeret? nōn patrem tuum vīderās, nōn avum audīverās cōsulēs fuisse?”

“nōnne sciēbās tē nūpsisse Quīntō Metellō, virō magnae virtūtis quī, simul ac pedem ex līmine extulerat, omnēs cīvēs glōriā et dignitāte praestābat? cum ex mīrābilissimō genere in familiam clārissimam nūpsissēs, cūr tibi Caelius tam amīcus fuit? quid igitur fuit nisi quaedam cupīdō?”

36. Cicerō intellegere desiderat . . .
 A. utrum Clodia sit gravis
 B. quandō Clodia primum loquatur
 C. quomodō Clodiam adloquātur
 D. cūr amīcus ipse Clodiae sit
37. quem Cicerō arcesset, sī Clodia dēsīderāverit ut Cicerō modō gravī utātur?
 A. senem
 B. filiū eius
 C. Metellum
 D. adulēscēntulum quendam
38. quālem virum Cicerō hīc dēsīribit?
 A. infēlicem
 B. amīcum
 C. servum
 D. mortuum
39. quālis vir Clodiam māgis delectat?
 A. iuvenis
 B. cognātus
 C. dīvēs
 D. athlēticus
40. quālēs barbae in statuīs antīquīs invenīrī possunt?
 A. exiguae
 B. russātae
 C. bene tōnsae
 D. horridae
41. postrēmō quem Cicerō arcessit?
 A. Caelium
 B. Clodiam ipsam
 C. cōsulem suffectum
 D. avum Clodiae

42. Cicerō Caecum ēlegit quod . . .
 A. multa vītia Clodiae eī nōn videnda erunt
 B. senex prope Cicerōnem sedet
 C. barbam nōn habet
 D. Clodiam lēniter adloquī vult
43. quomodō hic vir Clodiam adloquitur?
 A. magnā difficultāte
 B. acerbē
 C. flēbiliter
 D. cum gaudiō
44. Caecus invenīre vult . . .
 A. Clodia ā quō aurum accēperit
 B. quis pater eius sit
 C. quomodō Clodia morī malit
 D. cūr Clodia cum Caeliō versētur
45. quis est Caelius?
 A. marītus Clodiae
 B. mercātor
 C. adulēscēns
 D. senātor Rōmānus
46. secundam Cicerōnem, Clodia verētur . . .
 A. ut satis aurī habeat
 B. nē Caelius sē interficiat
 C. nē mala cōsumpserit
 D. ut pater iam vīvat
47. quālēs virī sunt avī Clodiae?
 A. turpēs
 B. praeclārī
 C. pauperēs
 D. fōrmōsī
48. quis est Quīntus Metellus?
 A. marītus Clodiae
 B. iudex
 C. adstāns quīdam
 D. sacerdos
49. quem Metellus glōriā dignitāte superat?
 A. nēminem
 B. paucōs
 C. omnēs
 D. tantum fratrum suum
50. Cicerō putat rem Clodiae esse . . .
 A. incrēdibilem
 B. magnae lēvitātis
 C. sine dubiētāte
 D. fortunātam